

strum in pontificalibus Vicarium ac ipsi adiunctos viros, iuxta pios ac doctos, quibus plenam dabimus in his spiritualibus ac ecclesiasticis rebus ordinandi potestatem, aggrediemur, eodemque adiuuante deo peragemus.

Quo ordine visitatio instituenda. Cap. II.

**E**X superioribus vero liquet plus satis, quo ordine visitatio instituenda sit, Siquidem in primis ab ecclesijs nostris metropolitana ac cathedrali inchoandum. Dehinc singulæ collegiatae simul cum monasterijs & virorum & mulierum inuisendæ, Post hæc ad parochiales ecclesias omnes in nostris ciuitatibus ac diocesis constitutas (ubi maxima cura opus erit) transeundū, ibi non solū parochi, sed alij etiam (quotquot ibidem commorantur) sacerdotes ac clerici aduocandi, Atque interim nō permittendæ scholæ & bibliothecæ, ubi ille reperient, ac postremo hospitalia pauperum diligenter perlustranda erunt.

Quæ vbique corrigere oporteat. Cap. III.

**Q**uæ vero oporteat vbique sciscitari ac inuestigare, quæ corrigere ac repurgare, quæ statuere ac ordinare, superiores constitutiones abunde docent.

In primis reformandos esse Decanos. Cap. IIII.

**Q**uod ad cathedrales & collegiatas ecclesias attinet, prima cura erit in reformandis ecclesijs prælatis, maxime Decanis, Qui si cæci fuerint, consequitur necessario, vt hi quibus ducatum præstant, simul in foueam trahantur ac cadant. Quod enim ab illis committitur, facile ab alijs trahitur in exemplum.

Inquietos & prælatis rebelles corripiendos. Cap. V.

**E**T quoniam alicubi tanta est cleri dissolutio, vt prælatis quantumuis bonis ac eruditis neque suus honor neque authoritas seruetur, intendet Visitatores nostri animum, vt inquieti corripiantur. Qui corripiti & obedire nolunt, censura ecclesiastica secundum culpæ modum percillant, donec resipuerint.

In monasterijs quomodo abusus percipiendi. Cap. VI.

**I**n monasterijs facile percipientur abusus, modo regulæ ordinis relegantur, Interrogenturque qui illis præsunt, num illis scilicet simul cum nostris constitutionibus per omnia satisfiat.

In visitatione parochiarum quid agendum. Cap. VII.

**V**bi ad parochias ibitur, debet parochi ac populo paucis ante diebus aduentus Visitorum significari, quo tum omnes expediti adsint, ac publicæ salutis intendant. Denique ea sacramenta ac munera quæ per solum Episcopum administrantur, expurgati & præparati recipiant.

Haben